



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Auari inter opes, miseranda mors.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Item appello. Auaris autem hunc auaritia portum obstruit. Tantam  
 & tam difficilem curam, in hac nocte habent, ut puta quos nihil pertur-  
 bat, sed in summo otio seipfos affligunt. Huc vsq; D. Chryostomus vi-  
 tam auarorū describens similem ijs, qui ad metalla damnati sunt;  
 immò ijs, qui meritò dicere possunt: *Repleta est malis anima mea:*  
 & *vita mea inferno appropinquauit.* Quin & Seneca ait: *Ipsos opifices*  
*intuere, per quorum manus sterile terra genus & informe perpurgatur:*  
*Videbis, quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant ani-*  
*mos, quàm corpora, & in possessore eorum, quàm in artifice, plus est sor-*  
*dium.* Ita de ijs, qui metalla fodiunt, & multò magis de ijs, qui  
 metalla diligunt, Seneca.

Pfal. 87. 4.  
 Senec. ep. 94.

Quemadmodum igitur fossores auri, nocte, dieque in tene-  
 bris laborant, & miseram vitam degunt, sordidi atque inquinati,  
 Plutoni æquè, ac Pluto vicini, ita diuites auari non procul absunt  
 à tenebris exterioribus, ad quas citò ab his mentis tenebris transe-  
 unt, cæcitate, eos in summa pericula & scelera inducente. Talem  
 se ad metalla damnatum fuisse ostendit Reginherus, Misniæ in-  
 Germania Episcopus, cuius horrenda mors extitit. Hic pecuniæ  
 maiorem curam gesserat, quàm Ecclesiæ; atq; in eodem cubiculo  
 thesauros suos infoderat, in quo somnū solitus erat capere. Ali-  
 quando igitur, cum absoluto prandio à mensa surgeret, in cubile  
 illud concessit, quasi cibo meridiationem additurus. Sed non sine-  
 bat eum pecunia quiescere: immò æs corrasum ferreum illi somnū  
 conciliauit. Solito diutiùs famulis intus morari videbatur. Ex-  
 pectabant tamen vsque ad multam vesperam. Et ferè iam tempus  
 cœnæ erat, cum somni prolixitatem mirati familiares, ianuam di-  
 gito primùm, tum etiam pugno percusserunt. Et quia arctè op-  
 pessulatæ fores aditum non dabant, neque vllum ille audientis sig-  
 num redderet, malleis seras effregerunt. Ibi tremendum se exhi-  
 buit spectaculum. Namque episcopus, fractis miserandum in mo-  
 dum cervicibus, exanimatus, atro colore, aspectuq; terribili the-  
 sauris suis incubans repertus est.

III.  
 Matth. 8. 12.  
 Lambertus  
 Schafnabur.  
 & Baron. to.  
 11. An. 1066.

Fateor, non omnes diuites tali morte puniri; sed mortem  
 alteram, inter opes, euadere, æquè difficile est, immò difficilius,  
 quàm camelum per foramen acus transire; aut in aquis non vui-  
 dum, in flammis non atrum fieri. Cuius rei clara imago fuerunt

IV.